



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XX. De confessione propriæ infirmatis, & hujus vitæ miseriis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

gratiam , quod mihi impossibile videtur per naturam.

Tu scis, quod modicum possum
pati, & quod citò dejicio, levi exur-
gente adversitate.

Efficiatur mihi quælibet exercita-
tio tribulationis pro nomine tuo
amabilis & optabilis: nam pati &
vexari pro te, valde salubre est ani-
mæ meæ.

C A P U T X X .

*De confessione propriæ infirmitatis,
et hujus vite miseriis.*

i. **C**onfitebor adversum me in-
justitiam meam : confitebor
tibi , Domine, infirmitatem meam.

Sæpe parva res est, quæ me dejicit
& contristat.

Propono me fortiter acturum:
sed cùm modica tentatio venerit,
magna mihi angustia fit.

Valde vilis quandoque res est, unde gravis tentatio provenit.

Et dum puto me aliquantulum

L tutum

tutum, cùm non sentio, invenio me
nonnunquam penè devictum ex le-
vi flatu.

2. Vide ergo, Domine, humilita-
tem meam, & fragilitatem tibi un-
dique notam.

Miserere, & eripe me de luto, ut
non infigar, ne permaneam deje-
ctus usquequa.

Hoc est, quod me frequenter re-
verberat, & coram te confundit,
quòd tam labilis sum & infirmus ad
resistendum passionibus.

Eti non omnino ad consensio-
nem, tamen mihi etiam molestia, &
gravis est earum insectatio, & tæder
valde sic quotidie vivere in lite.

Ex hinc nota mihi fit infirmitas
mea: quia multò faciliùs irruunt ab-
ominandæ semper phantasiæ, quām
discedunt.

3. Utinam, fortissime Deus Israel,
zelator animarum fidelium, respi-
cias servi tui laborem & dolorem,
affistasque illi in omnibus ad quæ-
cunque perrexerit.

Robo-

Robora me cælesti fortitudine, ne
vetus homo, misera caro spiritui
necdum plenè subacta, prævaleat
dominari, adversus quam certare
oportebit, quandiu spiratur in hac
vita miserrima.

Heu qualis est hæc vita, ubi non
desunt tribulationes & miserix; ubi
plena laqueis & hostibus sunt om-
nia!

Nam una tribulatione seu tenta-
tione recedente, alia accedit: sed &
priore adhuc durante conflictu, alii
plures superveniunt, & insperatè.

4. Et quomodo potest amari vita,
tantas habens amaritudines, tot sub-
jecta calamitatibus & miseriis?

Quomodo etiam dicitur vita, tot
generans mortes & pestes?

Et tamen amatitur, & delectari in
ea à multis quæritur.

Reprehenditur frequenter mun-
dus, quod fallax sit & vanus, nec
tamen facile relinquitur, quia con-
cupiscentiæ carnis nimis dominan-
tur.

L 2

Sed

Sed alia trahunt ad amandum,
alia ad contemnendum.

Trahunt ad amorem mundi, de-
siderium carnis, desiderium oculo-
rum, & superbia vitæ: sed pœnæ ac
miseriæ justè sequentes ea, odium
mundi pariunt & tædium.

5. Sed vincit (proh dolor!) dele-
statio prava mentem mundo dedi-
tam, & esse sub sentibus delicias re-
putat: quia Dei suavitatem, & in-
ternam virtutis amoenitatem nec
vidit, nec gustavit.

Qui autem mundum perfectè con-
temnunt, & DEO vivere sub sancta
disciplina student, isti divinam dul-
cedinem veris abrenuntiatoribus
promissam non ignorant; & quam
graviter mundus errat & variè fal-
litur, clariss vident.

C A P U T X X I .

*Quod in DEO super omnia bona &
dona requiescendum est.*

1. **S**uper omnia, & in omnibus,
requiesces, anima mea, in Do-
mino